



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

1750

Caput XI. Futura supernaturalis ordinis ad statum naturæ lapsæ
pertinentia prævidet Deus in absoluta illorum prædestinatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83620)

CAPUT XI.

Futura supernaturalis ordinis ad statum naturæ lapsæ pertinentia prævidet Deus in absoluta illorum prædestinatione.

SUMMARIUM.

1. 2. Quid sit scientia media, quam invenisse gloriatur Molina?
3. Scientia media tradita fuit à semipelagianis, & ab Augustino refutata.
4. 5. 6. 7. Reliqua ad resolutionem principalem scitu utilia.

3. & seqq. solidè probatur, Deum videre libera ordinis supernaturalis, quæ spectant ad statum naturæ lapsæ, dependenter ab efficaci decreto, non per scientiam *mediam*.

1.
Quid sit scientia media.

Est itaque scientia *Media*, missis vocabulorum ambagibus, præscientia futurorum independentem ab omni decreto prædeterminante: cumque plures Societatis Jesu Theologi decretum istud etiam ab infirmitatis statu amoveant, quod putent omne antecedens absolutum, & necessarium humanam evertere libertatem, propugnant acerrime scientiam *mediam* contra omnes Augustinianos, ac Thomistas, qui junctis tandem dexteris contra Moliniana scita fœdus ineunt.

2.
An Molina auctor scientiæ mediæ.

Adeo sibi de Scientiæ *Mediæ* inventionem complacuit Molina, ut in sua Concordia membro ult. minime veritus sit affirmare, se omnium mortalium primum veram conciliandi cum Gratia libertatem adinvenisse rationem, quæ latuit Augustinum summum illum Divinæ gratiæ Magistrum, ac defenforem. Quæ si tradita fuisset, inquit, tempore Augustini, aut ab eo fuisset exposita, itum fuisset obviam hæresibus Pelagianorum & Lutheranorum, nec tam multi ex Massiliensibus & Gallorum Episcopis ad hæresim defecissent. Ipsi tamen auctori suo hæc scientia *media* visa est principio suspecta, timebatque editas de illa elucubrationes publici juris facere, ut scribit 1. p. disp. VII. cap. 1. Herice, quod & ingenue de seipso fatetur Fonseca lib. VI. Metaphys. cap. 2. q. 4. At Franciscus Suarez, ne Molinianum Commentum damnetur à veterum studiosis prætextu novitatis, lib. 2. de Scientia cap. 3. ait Scientiam *mediam* ab antiquioribus Scholasticis fuisse traditam sub nomine scientiæ *simplicis*, & *visionis*, atque pro eadem stare Sanctissimos Ecclesiæ Patres. Quamobrem in Schola Medistarum primum aperte dogmata Sancti Augustini rejici, deinde ad Molinæ sensa detorqueri cœperunt, quamcitius, si superis placet, se tantum Augustini mentem assecutos jactabunt.

Illud itaque extra dubium est Scientiam *Mediam* fuisse traditam à Semipelagianis, & ab Augustino improbatam; quod constat ex Epistolis SS. Prosperi & Hilarii. Nam asserebant Pelagiani, inquit Prosper, *tales perdi, talesque salvari, quales futuros illos, si ad longiorem servarentur ætatem, scientia Divina præviderit*, & parvulos absque baptisinate morte abripi, quod Deo cognitum sit, *fuisse, si diutius viverent, peccaturos*: voluisse etiam Christum apparere, & prædicari hominibus Scientiam suam, *quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri*. Quibus victi testimoniis Jesuitæ in rescripto publicato Romæ, dum gravissima agitaretur controversia hæc ingenue confessi sunt: *Verum est quod Patres Prædicatores evulgarunt, videlicet etiam ipsos Massilienses Semipelagianos hanc scientiam mediam docuisse, quod bene inferunt ex illis verbis Hilarii Epistola ad Sanctum Augustinum: Cum autem dicitur eis, quare aliis vel alicui prædicetur, quod aliquando pene omnibus, sicut nunc aliquibus prædicatum non sit, dicunt id præscientiæ esse Divinæ, ut eo tempore, & ibi veritas annunciaretur, quando & ubi præunciabatur esse credenda*. Idem nomine Societatis confessus est P. Cobos anno 1601. in responsione ad quandam Propositionem XIV. apud Censores à Sede Apostolica deputatos. De quibus consule erudita scripta Joannis Gonzales, Thomæ de Lemos, Hyacinthi Serry, & qui omnia collegit, & Historiæ Congregationis de Auxiliis amplissimam suppeditavit materiam, Gregorii Nunnez Coronel Augustiniani, præfatæ celeberrimæ Congregationis Consultoris & Secretarii, cujus autographa servantur in Bibliotheca Angelica urbis, & in Cœnobio Montis Georgii.

Neque Pelagiani Scientiam *Mediam* adinvenere, sed acceperunt à superioribus.

3.
Scientia media tradita à semipelagianis, & ab Augustino refutata.

4.
Nec Pelagiani scientiam mediam invenere.

rum sæculorum hæreticis Arianis. Qui, ut refert Alexander Episcopus Alexandriæ in Epist. quæ habetur in Actis Nicænæ Synodi, & Theodoretus lib. 1. Ecclesiasticæ Historiæ cap. iv., assererant Christum Dominum ex omnibus fuisse præelectum, quod Deus *eum præscientia & præsentione prænovisset nequitiam ipsum aspernaturum*. His reciprocum reddit echum Molina 1. P. Conc. q. 23. art. iv. ut evidentissime demonstrat Cardinalis Gotti Quæst. vi. de Scient. futur. Cond. Dub. 3. §. 1. & Didacus Alvarez disp. vii. de Aux. n. x.

5. Hæc non ideo dicta sunt, ut in Semipelagianis Scientiam *Mediam* damnatam esse quisquam suspicetur. Non sum tali ingenio erga Theologos de Ecclesia optime meritos: neque immemor sum eorum, quæ scripsi sexto cap. præcedenti. Imo duplex oppono Medistas inter, ac Semipelagianos discrimen. Primum est Semipelagianos affirmavisse initium fidei esse ex nobis, neque veram Christi gratiam ad primum conatum fideique primordia credidisse necessariam: cum Medistæ gratiam Christi, licet non prædeterminantem, etiam ad primum bonæ voluntatis motum requirant. Alterum vero est, quod Semipelagiani causam prædestinationis ad gratiam contendebant esse illa opera parvulorum, quæ nunquam futura erant, quod Catholici defensores Scientiæ *Mediæ* nusquam aut ore, aut calamo tradiderunt.

6. Quamvis hæc vera sint, & de Scientia *Media*, donec accedat iudicium Ecclesiæ, nihil possimus temere definire; distinguenda est tamen in Semipelagianis duplex causa, cur illam scientiam adstruebant. Prima causa est, ne videretur Deus iniquus, & personarum acceptator, si ex duobus parvulis pariter originali obnoxiiis peccato unum, non alterum prædestinaret: quod ne sequeretur, assererant, unum, non alterum eligi intuitu meritorum, quæ facturi essent, si vixissent: id vero de prædestinatione saltem ad gratiam Moliniani non audent proferre. Secunda causa est, ne prædestinatione antecederet efficaci fatalis induceretur necessitas: & propter hanc causam non solum Medistæ Scientiam *Mediam* tuentur, verum etiam indies vereres Semipelagianorum repetunt querimonias, quod prædestinatione beneplaciti, & gratia videlicet liberum tollatur arbitrium.

7. S. P. Augustini in hac controversia auctoritas sit quanti sit auctoritas, manifestum est

ex decretis Pontificum, & Sanctorum Patrum testimoniis, qui ejus doctrinam plenius calculis probaverunt, ut dicam in Protheoria libri vi. sed quantum ad quæstionem hanc propius accedit, cum in Congregatione de Auxiliis ageretur, præcepit Clemens VIII. ut ad mentem Augustini discuteretur, quod is viginti annorum spatio pro Gratia Dei contra Pelagianos dimicaverit, & eo Duce egerit acies Catholicæ Ecclesiæ triumphum: & nihil prætermiserit eorum, quæ ad præsentem pertinent controversiam. Quæ in Historia Congreg. de Aux. lib. v. cap. 1. P. Meyer, siue personatus cognomine Theodori Eleuterii ingenue fatetur. Atque hinc est, quod Scientia *Media*, ut à Molina traditur, cum repugnet Augustino, teste eodem Molina Q. xxiii. Conc. etiam decreto Claudii Aquavivæ Præpositi Generalis amplissimæ Societatis Jesu anno 1613. fuit improbatæ; eamque rejiciunt Azorius & Henriquez, alique ejusdem Societatis viri docti: ut dicam agens de Gratia efficaci. Pertinet vero ad Præfens institutum hanc scientiam *Mediam* refutare, & ea resolvere, quæ in ejus munimentum congersere Moliniani.

8. PROPOSITIO: Deus videt futura libera ordinis supernaturalis, quæ spectant ad statum naturæ lapsæ, dependenter ab efficaci decreto, non per Scientiam *Mediam*.

Non iisdem principiis nos hanc *Mediam* Scientiam depellimus, quibus utuntur Thomistæ, sed hoc uno, quod & ipsi approbant, ducto ex necessitate gratiæ efficaci, quam in hoc statu ad omne opus salutare credimus necessariam. Itaque Propositio hac ratione fulcitur. Eatenus prænosceret Deus futura ordinis supernaturalis per Scientiam *Mediam* & independentem ab omni decreto efficaci, quatenus non statuisset hominibus lapsis conferre efficacem gratiam, sed quandam generalem & arbitrii pedisequam, cujus efficientia ab humana voluntate ipsam gratiam determinante penderet: Atqui Deus hominibus lapsis decrevit misericorditer largiri gratiam videlicet, sine qua nunquam vulnerata per culpam Adæ libertas opus efficeret salutare: Ergo Deus prævidet futura supernaturalia hujus status, non per Scientiam *Mediam*, sed in absoluto & efficaci suæ voluntatis decreto. Major propositio certa est: quando enim aliquid cognoscitur sub conditione inferente, & ad unum determinata, certum est ad Scientiam *visionis*, non ad *medi-*

in hac controversia magna est.

8. Propositio.

Probat

am spectare: quemadmodum veritates istæ; Si lumen fulgeat, si dies elucescat, si aperiantur fenestræ, illuminabitur aula, si gravi vulnere hominis præcordia confodiantur, corruet mortuus, si aeris nubes valido æquilone perdantur, cessabunt pluvie, & alia effata istiusmodi. Efficax autem Decretum, gratia victrix, ac prædeterminans est conditio inferens: & consequenter objectum aufert Scientiæ mediæ.

9. Notandum pro Candidatis de Dei gratia. At minorem propositionem probaturi sumus ubi de Gratia disputabitur efficaciaci. Nunc quædam, ne in primo limite Candidati vacillent, accuratius postmodum expendenda subijciam. Appellatur itaque Dei Gratia supernaturalis quædam vis nobis Dei liberalitate collata, unde omnes sanctæ cogitationes, & omnes motus bonæ voluntatis proveniunt: quæ definiri potest verbis Augustini lib. 4. contra duas Epist. Pelagianor. cap. 5. *Gratia est inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus.* Hæc vero, quantum ad præfens institutum attinet, absolute efficax est, quando vincit ac superat omnem cordis obdurationem, & facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati. De qua sane gratia inquit S. P. Aug. de Prædest. SS. cap. VIII. *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus Divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Præstat vero hanc appellare absolute efficacem, quoniam tam valida delectatione trahit, ut contranitens concupiscentia superetur, & voluntas infallibiliter, libere tamen & cum indifferentia potentiæ ad oppositum, sequatur vocantem; & quoniam tali gratiæ, quæ ex nolentibus volentes facit, nunquam liberum resistit arbitrium. Est tamen aliud genus gratiæ, quæ allicit quidem quantum in se est, tribuitque potestatem recte sancteque operandi, si tamen obex praviæ affectionis removeatur, quam placet appellare efficacem relative; quoniam hæc comparatæ ad varias hominum affectiones & efficax, & sufficiens tantum nuncupatur. Nam si carnalis delectatio, cui humana voluntas obstringitur, illius gratiæ delectatione prævaleat, frustratur hæc suo effectu, & redditur inefficax; & hæc est gratia sufficiens, cui liberum arbitrium quamfrequenter resistit. Quod si sancta delectatio carnalem superat concupiscentiam, reapse effectum sortitur, & victrix est, ut dicitur ab Augustino. Non enim peccator minori concupi-

scientiæ pondere pressus indiget vividissima illa inspiratione dilectionis, quæ à nullo duro corde respuitur, sed satis est si talem habeat, quæ pugnantis concupiscentiæ motus retundat. Quamobrem hanc gratiæ arbitramur esse Oeconomiam; ut primo homini tale collatum fuerit adiutorium, quod generali quadam delectatione integram ejus mentem alliciendo daret posse non peccare, posse non mori, posse bonum non deserere; ut docet cap. XII. de Corrupt. & Grat. S. P. Augustinus. Nunc vero gratia determinatam quoque delectationem inspirat, quæ si fortis sit admodum, & tam vivida ut qualibet cordis duritia auferatur, est gratia efficacis absolute: si non sit tantæ vividitatis atque intensiōis pro varia affectione voluntatis, cui confertur, modo effectum consequetur, eritque efficacis, modo effectum frustrabitur, eritque inefficax; quamquam inspiret sanctam delectationem ad bonum in particulari, & sit ex suis intrinsicis sufficiens ad producendum opus salutare.

Ergo necessitatem victricis gratiæ, quæ talis sit saltem comparate ad cordis nostri duritiem, ostendit primum Divina Scriptura; quæ non ab humana voluntate, neque à Divini auxilii cum ipsa voluntate temperamento, sed ex modo operandi ejusdem gratiæ repetit efficaciam. Hujusmodi sunt verba Apostoli ad Philippenſes II. *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Et Ezech. 36. *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini.* Quæ postrema verba exponens S. P. Augustinus in lib. de Grat. & lib. arbitrio cap. 16. ait: *Ille facit, ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati.*

Idem probant Orationes Ecclesiæ, quibus non auxilium solum, sine quo agere non valemus, sed illud etiam continuo imploramus, quo actu velimus, & quod possumus exequamur. His enim supplicationibus orat Sancta Mater Ecclesiæ: *Fac nos, quæsumus Domine, semper tuis obedire mandatis: Fac nos, amare quod præcipis: Quod immerito contulisti, propitius exequaris: Tribue quæsumus, ut ad promissiones tuas sine offensione curramus: Tua medicinalis operatio tuis semper faciat inhaerere mandatis, &c.* Hæc frustra à Deo peterentur, si mandatis inhaerere, currere, exequi, amare à determinatione nostra penderet. *Propterea in hac re,* inquit S. P. lib. de Dono Persev. cap. 7. *Non operosas disputationes expectet Ecclesi-*

10. Necessitatem victricis gratiæ ostendit Scriptura Sacra

11. Ostendunt orationes Ecclesiæ,

fia, sed attendat quotidianas orationes suas. Orat ut increduli credant; Deus ergo convertit eos ad fidem: orat ut credentes perseverent; Deus ergo donat perseverantiam usque in finem.

12. Ostendit S. Augustinus. Si vero Augustiniana Scripta volamus, testimonia occurrent ad rem nostram innumera. *Questio, quæ inter nos agitur*, ait S. P. in Epist. ad Vitalem, *est utrum hæc gratia, quoad effectum, præcedat, an subsequatur hominis voluntatem; hoc est, ut plenius id eloquar, utrum ideo nobis detur quia volumus, an per ipsam etiam Deus efficiat, ut velimus*. Et de Corrupt. & Grat. cap. XII. *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideo quævis infirma, non tamen deficeret*. At plura alibi exscribam, & ab Adversariis circumventionem tutabor.

13. Notandum circa Patronos scientiæ mediæ. Advertendum est interim complures Patronos Scientiæ Mediæ repetere gratiæ efficaciam ex eo, quod illam misericors Deus largiatur in aliquibus circumstantiis, in quibus prævidet humanam voluntatem sibi vocanti & excitanti obtemperaturam: & hac ratione per Scientiam mediæ dirigi putant absque gratia victrice totius prædestinationis nostræ negotium. Illam gratiam in his loci, ac temporis circumstantiis collatam *Congruam* appellant, eamque faciunt nunquam effectu proprio frustrari. Hi nimirum præter sufficiens auxilium, quod adsit omnibus, istud speciale addunt, quo Molinianam Sententiam liniunt pigmento, & veluti arte gladiatoria nobiscum ludunt. At perperam. Etenim S. P. Augustinus Hom. XXI. inter l. docet, efficaciam gratiæ minime à circumstantiis naturalibus esse petendam; sed gratiæ donum esse, si improbis meditantibus scelera deest locus ac tempus, si non adest suavor malorum, si præsto sit qui ad bona opera hortetur. Hoc utique modo, vocat ille qui disponit omnia suaviter, prout videt unicuique congruere: hanc gratiam, si lubet, *Congruam* dicamus: sed in omnibus circumstantiis Divinam fateamur præordinationem, qua Deus pro suo beneplacito destinavit ita vocare, & hominum voluntates allicere, ut infallibiliter sequantur vocantem; ita ut opportuna hujus, illiusve circumstantiæ occasio non sit Divinæ prædestinationis causa, sed effectus. Et quod maximum est, in lib. de Prædest. SS. cap. 2. S. P. exemplo Pauli longiori oratione demonstrat etiam in oppositis circumstantiis Deum quandoque gratiam

largiri: ille enim alienus à fide, quam vastabat, eique vehementer aversus repente est ad illam gratia potentiore conversus, convertente illo, cui hoc ipsum facturo per Prophetam dictum est: Tu conversus vivificabis nos: ut non solum ex nolente fieret volens, verum etiam ex persecutore, persecutionem in ejus fidei, quam persequeretur, defensione pateretur. Ex quibus efficacis gratiæ necessitas, quantum ad præsens assertum necesse est, comprobatur. Omnia vero, quæ hucusque diximus ad hanc reducuntur synopsis. Eget homo lapsus auxilio ab intrinseco efficaci: istud à decreto absoluto atque à Divino beneplacito in nos derivatur: quidquid ab hujusmodi pendet decreto non est objectum Scientiæ mediæ: Ergo opera supernaturalia hominis lapsi per Scientiam mediæ non prævoluntur.

Addam aliqua ex Augustino momenta, in quibus expresse de futurorum agitur præscientia. Ac primum sit: Prævidet Deus peccatorum conversionem, & cætera opera meritoria, tanquam dona sua, & veluti opera à se principaliter facienda: sed dona sua, & opera à se facienda prævidet Deus in sua prædestinatione, sive absoluto decreto: Ergo in sua prædestinatione, in suo decreto videt Deus conversionem peccatorum, & cætera opera meritoria. Ita S. P. lib. de Prædest. SS. cap. x. *Prædestinatione quippe ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus*. Et de Dono Persev. cap. XVII. *Si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur a Deo Dei dona*: Et ibidem: *Quod si datur, & ea se daturum esse præscivit, profecto prædestinavit*.

Præterea Semipelagiani contendebant, ut constet ex Epist. Hilarii, præscientiam conditionatorum independentem à Divina prædestinatione traditam quoque fuisse ab Augustino Epist. ad Porph. 42. n. 102. ubi scripserat: *Si tantæ potestatis fuisset Pythagoras, ut ubi vellet & quando vellet, sua dogmata prædicaret, & si haberet etiam cum ea potestate summam rerum præscientiam, nusquam, & nunquam appareret, nisi ubi & quando sibi homines credituros esse prænosceret*: Et infra: *hoc solum eis brevitate gratia in hujusmodi questionis disputatione dicamus, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri*. Quem locum in patrociniis scientiæ mediæ produxerunt Patres Societatis Jesu in disputatione

14. Argumenta ex S. Augustino.

15. Frustra pro se citant S. Augustinum scientiæ mediæ defensores.

xxxiii. habita coram SS. D. N. Clemente VIII. eumque ad Scientiam hanc *mediam* confirmandam validissimum putat Franc. Suarez lib. 1. de Gratia Prolog. 2. cap. 3. At S. P. lib. de Prædest. SS. cap. 9. hæc ex adverso respondet: *Cernitisne me sine præiudicio latentis consilii Dei aliarumque causarum hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem sufficere videretur? Quid enim est verius, quam præscivisse Christum qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato sibi Christo, à seipso habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere atque differere tunc necessarium non putavi.* His autem docet Augustinus se utique tradidisse scientiam conditionatorum, sed absque præiudicio latentis consilii Dei, sive in prædestinatione ad fidem, & in proposito voluntatis suæ ante mundi constitutionem. Quod scientiæ *mediæ* omnino est peremptorium.

16.
Suarezii argumentum refutatur.

Neque ullius momenti est, quod ait citato loco Suarezius, S. Patrem priorem sententiam de Præscientia Dei antecedente decretum potius confirmasse, dicens: *Possêt etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem, eo vel maxime quod Augustinus cit. Epist. 502. scribit noluisse Christum apparere infidelibus, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præscivit:* quæ verba accipi non possunt de præscientia consequente decretum, cum Deus neminem eligat ad non credendum. Non, inquam, hæc dici possunt. Quis enim non videat ea verba. *Possêt etiam sic dici, &c.* complecti electionem eorum, qui prædestinati sunt ante mundi constitutionem? Quis non

percipit referenda esse ad ea, quæ S. P. scripserat citata Epist. nulla tunc facta mentione prædestinationis, quam exorta Pelagiana hæresi laboriosius explicare oportebat? Quis non acquiescat, posteaquam Augustinus admonuit se loquutum absque præiudicio latentis consilii Dei? Quis non miretur Suarezium non advertisse ea, quæ sequuntur: *Tunc satis erat breviter esse dicendum excepta altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, & sine præiudicio aliarum causarum?* Quis non sentiat refutari ab Augustino Semi-pelagianorum objecta, non confirmari? De infidelitate autem plurimorum, non eadem ratio est, ac de fide: illius causa est sola voluntas; huius voluntas & gratia: de illa stat sine prædestinatione præscientia, in ista prævidet Deus quidquid est ipse factururus. Sed & infidelitas, si Deus subtrahat auxilium efficax, videtur absque ulla scientiæ *mediæ*, ut dixi cap. præc. propos. 2. Quapropter inutilis est Suarezii argumentatio, & contra eum retorquetur.

Tandem S. P. Augustinus, cum illi à Semi-pelagianis objicerentur quædam testimonia veterum Patrum, qui operum præscientiam independentem à prædestinatione, & efficaci Divinæ voluntatis proposito videbantur tradidisse; libro de Dono Persev. cap. 18. respondet illos præscientiam nomine designasse prædestinationem: *Quid ergo, inquit, nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei Tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere?* Sed præscientia prædestinationi subnixa, non est illa, quam appellant scientiam *mediam*, hæc enim prædestinationem antevertit, & nullum decretum supponit, nisi conferendi omnibus & singulis gratiam versatilem, in qua nil potest certo præsciri, neque discretio aliqua unius præ alio contineri: Igitur rejicit Augustinus scientiam conditionatorum, qualem propugnant Medistæ.

17.
Responsio S. Augustini ad objectiones Semi-Pelagianorum.

CAPUT XII.

Solvuntur ea, quæ obtrudunt Defensores scientiæ *mediæ*.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. Enervatur argumentum ex S. Scriptura depromptum.

5. 6. 7. 8. 9. 10. Solvuntur textus S. Augustini ab Adversariis afferri soliti.

11. Et seqq. Satisfit cæteris argumentis.

1.
Obiectio 1.
ex S. Scriptura.

PRIMO ita arguunt adversarii. Deus vidit futuram conversionem Tyriorum ac Sidoniorum independentem ab omni conditione inferente: Ergo vi-

dit per scientiam *mediam*. Probat. antec. Matth. xi. 21. ita Christus increpat Corozaitas & Bethsaitas: *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro*